

## **Psalmus 101**

- 1 Domine, exaudi orationem meam:  
et clamor meus ad te veniat.
- 2 Non avertas faciem tuam a me:  
in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
- 3 In quacumque die invocavero te,  
velociter exaudi me.
- 4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei:  
et ossa mea sicut cremium aruerunt.
- 5 Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum:  
quia oblitus sum comedere panem meum.
- 6 A voce gemitus mei:  
adhaesit os meum carni meae.
- 7 Similis factus sum pellicano solitudinis:  
factus sum sicut nycticorax in domicilio.
- 8 Vigilavi,  
et factus sum sicut passer solitarius in tecto.
- 9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei:  
et qui laudabant me adversum me jurabant :
- 10 Quia cinerem tamquam panem manducabam,  
et potum meum cum fletu miscebam,
- 11 A facie irae et indignationis tuae:  
quia elevans allisisti me.
- 12 Dies mei sicut umbra declinaverunt:  
et ego sicut foenum arui.
- 13 Tu autem, Domine, in aeternum perennes:  
et memoriale tuum in generationem et generationem.
- 14 Tu exsurgens misereberis Sion:  
quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.
- 15 Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus:  
et terrae ejus miserebuntur.

- 16 Et timebunt gentes nomen tuum, Domine,  
et omnes reges terrae gloriam tuam.
- 17 Quia aedificavit Dominus Sion:  
et videbitur in gloria sua.
- 18 Respexit in orationem humilium:  
et non sprevit precem eorum.
- 19 Scribantur haec in generatione altera:  
et populus qui creabitur laudabit Dominum.
- 20 Quia prospexit de excelso sancto suo:  
Dominus de caelo in terram aspergit.
- 21 Ut audiret gemitus compeditorum:  
ut solveret filios interemptorum:
- 22 Ut annuntient in Sion nomen Domini:  
et laudem ejus in Jerusalem.
- 23 In conveniendo populos in unum,  
et reges, ut serviant Domino.
- 24 Respondit ei in via virtutis sua:  
Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
- 25 Ne revokes me in dimidio dierum meorum:  
in generationem et generationem anni tui.
- 26 Initio tu, Domine, terram fundasti:  
et opera manuum tuarum sunt caeli.
- 27 Ipsi peribunt, tu autem permanes:  
et omnes sicut vestimentum veterascent.
- 28 Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur;  
tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.
- 29 Filii servorum tuorum habitabunt:  
et semen eorum in saeculum dirigetur.